

Scioppius (l)? De Bucelini ratione politica (*), Habsburgicos & Brandenburgico-Hobenzolleranos ad eundem stipitem referre (m). Quare tanti aestimetur genealogia Vignerii Vienne (n)? An Austriacis, e Francor. stirpe oriundis, jus hodieque in Gallias contra Capetingos (o)?

§. III. Quamuis vero sine dubitatione nemo definiuerit neque conditorem arcis gentilitiae, neque vtra inter quatuor sit antiquissima: id tamen expeditum satis est, Rudolfum, qui e comite Habsburgico imperator est factus, non noua, sed antiqua stirpe fuisse oriundum. Cum tamen vltra auum Rudolphi gentem illius scriptores eius temporis non protendant; cautius esse (a), credimus, si tenuiori

- (l) Si maiestas laeditur omni eo, quod principi displicet, nemo mortalium veritati studet, quin capite & fortunis centies plectendus esse videatur. His artibus Romani Caesares aut potius tyranni subditos vita ac bonis spoliarunt: cum facile esset illis, ad aliquid effingendum, quod miseri subditi egissent in contemptum imperatoris. In hunc enim traxerant; si quis in cloaca numos, Caesaris imagine signatos, non deposuisset, antequam ligulas solueret & quae sunt generis eiusdem.
- (*) De usu politico originum. In diurnis Halensibus 1733. n. 26. exemplo id docuimus: quod gentes Austriaca; Brandenburgica; Welfica & Lotharingica in uno stipite conspirent.
- (m) Kirchmeierus, Orator Vitebergensium dissertatione Academica explicuit hoc sine origines, Austriacae & Brandenburgicae gentibus communes, quo utramque domum ad foedus ineundum excitaret, quod tum in votis Germaniae esse videbatur.
- (n) Quod testimonium hominis Galli maximi fieret Austriacis, qui Habsburgicae gentis natales deduxerit a Carolingis.
- (o) Si quidem Puteani & Cassani filum consecutionis trabendum est, qui vterque Capetingicis regibus ex hoc argumento omnes ditiones, Carolo magno possessas, tribuunt, quod Capetingi Carolingici sanguinis essent propago. Ad sensus igitur disputamus Gallorum.
- (†) Licet metuerit suis regibus ex hac doctrina Nic. Claud. Fabricius Peirescius, uti Petrus Gassendus prodit in vita eius lib. 2. p. 100. Quedlinburg. 1706. 1708. 2. part. impress.
- (a) Aliae genealogiae politicum usum habent, aliae historicum. Certe politici uiri est, nihil ignorare, quod facit ad principis & aulae sensus alendos: sed historicus usque eo de omnibus dubitare debet, quousque veritas non patet ex idoneis argumentis. Nisi hominibus doctis turpiter velit audire. Frustranea censura est Schoenlehbii part. 1. c. 19. §. 2. p. 155. qui Didacum Lequiliam, Austriacum scriptorem eapropter acriter reprehendit: quod non facilius sit in credendis genealogiis. Wer nicht glauben könne, der lauge nicht, Geschlechts-Register zu machen. Qui nimium timet,